

moveri incipit, citoque motu usque ad mortis tempus volvitur; quæ quasi rota, ubi agitante lingua justo plus festinat, ignem concipit, quo *tota machina consumitur*; Sed recte MICHAELIS in contrarium monet, quod Jacobus h. m. credatur comparationem instituere cum eventu, qui rarius accidit, cum raram sit ac insolens, rotam ex cursu nimis fervido incendi & conflagrare; Addimus nos: non de malo *pœna*, sed *culpa*, in contextu loqui Apostolum.

§. XVI.

Supersunt C)tio in II. Classe Interpretum illi, qui ambiguo vocabulo γενεσις h. l. adsignant notionem *natura*, ut idem notet, quod φυσικὴ ψ. 7. a) Hoc certe sensu illud α) adhibuit Apostolus noster *supra C. 1, 23.* ubi προσωπον γενεσεως varias quidem passum est interpretationes, sed maximam partem tales, quæ ultimato resolvuntur in hanc, quod significetur facies *naturalis*; Non alienum erit, *huic loco* paullisper immorari, cum quilibet Auctor sit optimus sui Interpret. Versio latina vetus vertit, faciem *natalis sui*, satis obscure; Vulgata Hieronymiana, vultum *nativitatis suæ*, æque obscure; neque enim tolerabilem sensum fundunt hæ versiones, nisi, *faciem nativitatis*, ita resolves: faciem, qualis est a *nativitate*, a *natura*; quo sensu EUSTATHIUS ad *Odyss. XV.* τὴν εἰκόνα τε ἐκ γενεσεως προσωπε dixit; HAMMONDVS ait, olim sibi vitium esse προσωπον γενεσεως esse posse *schema nativitatis*, sensu astrologico, ἐσοπτρον vero speculum artificii-

tificiale, e quo quis fatum suum cognoscere cupiat; sed jure hanc interpretationem deseruit, neque tamen feliciter hanc substituit, quod *προσωπον γενεσεως* sit facies naturalis *larvæ* opposita, cum enim & *larva* Græcis *προσωπον* audiat, JACOBVM per genitivum *γενεσεως* faciem *nativam* distinguere voluisse a *larvæ*; recte hoc III. MICHAELIS jejunum videtur, nec enim quisquam lectorum de *larvæ* in speculo contemplanda cogitasset, etiamsi *γενεσεως* non fuisset additum; Aequè infeliciter CLERICVS vocem *γενεσεως* additam censet, ut vultus, qualis *natura* est, *opponatur fucato*, nulla enim adparet ratio, cur Apostolus cavere voluerit, ne lector faciem *fucatam* intelligeret; Atque sic nec WOLFIVS acu rem tetigit, quando *προσωπον γενεσεως* ipsi est *προσωπον γνησιον*, quidquid enim τῷ γνησιον opponat, antithesin id infert, quæ ad rem ab Apostolo tractatam nil facit; Nec denique cum GROTTIO & SVICERO dici potest, *προσωπον γενεσεως* idem esse, quod *ἀρχετυπον*, quod quis in speculo videat, perinde, ac si se ipsum videret; nil enim attinebat, hoc jam docere. Restat igitur, ut *γενεσιον* heic idem notare statuamus, quod *φυσιν*, & *προσωπον γενεσεως*, faciem *naturalem*, opponi dicamus *faciei* quasi *moralis*, seu *formæ* hominis *internæ*, quæ cognoscitur adhibito speculo Verbi divini; unde LUTH. optime reddidit: *sein leiblich Angesicht*; Vox *γενεσεως* monet lectorem, ut ipse *apodosin* faciat ad *protasin* similitudinis; Quemadmodum e speculo materiali cognoscitur *forma naturalis*, ita e speculo Verbi div. curatius inspecto *forma ani-*

animi, seu character noster moralis & spiritualis.  
 β) Obtinet idem hic voc. γενεσεως sensus in L. SAP.  
 Cap. I, 14. ubi GROTIUS σωτηριαις τας γενεσεις τε κοσμου  
 recte exponit de *natura* omnium hominum, Dei bo-  
 nitate, bona, atque ad salutem aeternam apta, γενεσις  
 enim, inquit, est *natura* Jac. I, 23. III, 6. Sicque  
 etiam ejusdem L. SAP. Cap. XIV, 26. γενεσεως εναλλαγη  
 recte idem ipsi est, quod Rom. I, 26. μεταλλαγη της  
 φυσικης χρησεως εις την παρα φυσιν γ) 2 Macc. VII, 23.  
 Conditor mundi finxissē dicitur ανθρωπη γενεσιν (non  
 certe *nativitatem*, sed) *naturam*, & adinvenissē omnium  
 rerum γενεσιν (iterum non *nativitatem*, sed) *naturam*.  
 δ) Loca profanorum Auctorum dabit HEISENIUS c. I.  
 p. 845. f. §. XXXI. Nos jam iis haud immorabimur,  
 ostensuri potius b) *quid* per τροχόν naturæ h. I. intelli-  
 gendum sit, & quo sensu *Lingua* hunc τροχον inflam-  
 mare dicatur? α) Τροχος naturæ tribuitur ex sententia  
 BENGELII per metaphoram a re astronomica desum-  
 tam; Quemadmodum scilicet P. LXXVII, 19. hæ-  
 bræum לָלַן, quod LXX. reddunt τροχός, *rota*, in  
*macrocosmo* denotat orbem seu sphaeram caelestem, cui  
 deinceps opponitur לבן, δίκαιμην, sic h. I. τροχος γενε-  
 σεως in *microcosmo* ipsi designat hominis *naturam* totam,  
*corpus* antea dictum, scil. cum toto suo temperamento  
 spectatum; cui mox opponitur γεννη, gehenna, quæ  
 in *microcosmo* est *cor* hominis, uti in *macrocosmo*  
 gehenna proprie sic dicta; Ac sane β) *naturæ* huma-  
 næ, in sphaera sua semper actuose, optime congruit me-  
 taphora *rotæ*, nam ut *rota* celerrime circumagitur,

sic sphaera caeli in macrocosmo, & hominis natura in  
 microcosmo; 2) ut in macrocosmo ad *terram* se ha-  
 bet Coelum aut Gehenna, sic in microcosmo ad totum  
 hominis *corpus* seu *naturam* se habet *cor*, cui *lingua*  
 servit; nam penes *pios* coelum, penes *malos* gehenna  
 suas habet *in corde* *venas*, unde tot *mira* ad *rotam*  
*nativitatis* diffunduntur; 1) sicut in macrocosmo *terra*  
 est *intermedium* quiddam inter coelum & gehennam,  
 sic in microcosmo *lingua* est in medio inter sphaeram  
 superiorem, ipsam *naturam rationalem*, & gehennam,  
 scil. *cor*. Jam in hac comparatione, praeter ea, quae  
*supra §. X. Diss. nostrae p. 45. seq.* jam monuimus, id  
 cum maxime, quo minus eam pleno assensu ample-  
 ctamur, nobis obstare haud diffitemur, quod in ea  
 vel vocabulo *γεενν* duplex significatus tribuitur, ita  
 ut illud *immediate*, in microcosmo, *cor* hominis,  
*mediate* vero partem infimam macrocosmi, *gebennam*  
 proprie sic dictam, denotet, vel, si unico tantum *sen-  
 su* illud accipiatur, pro gehenna sive macrocosmi,  
 sive microcosmi, *isto* quidem in casu membra com-  
 parationis sibi minus bene respondent, quia *duo prio-  
 ra* ad *microcosmum* pertinerent, *postremum* vero ad  
*macrocosmum*, in hoc autem vox *γεενν* significatum su-  
 stinet, qui *sine exemplo* est. Hanc ob causam omni-  
 no tutissimum nobis videtur, si absteatur ab ista  
 comparatione macrocosmi & microcosmi, ac per  
*rotam naturae* generatim intelligatur *tota natura hominis*  
*in omni sphaera activitatis suae spectata*, & *ὅλον το σωμα*  
 antea dicta, cum enim noxa linguae non restringi  
 queat

queat ad *corpus stricte sic dictum*, phrasis illa necessario  
 amplioris & ejusdem cum phrasi τροχος γενεσεως am-  
 bitus esse censetur; neque BENGELIUS h. m. ταυτο-  
 λογίαν, vitium in scriptore θεοπνευστω non tolerandum,  
 temere nostro loco obtrudere existimandus est; Quis  
 enim *tautologiae* arguat hac duo enunciata: *Lingua,*  
*qua mundus injustitiæ, contaminat totum corpus, &*  
*qua ignis, inflammat rotam naturæ?* etiamsi ὅλον το  
 σωμα & ὁ τροχος γενεσεως reapse ejusdem sint ambitus?  
 nonne potius hæ duæ locutiones explicare se mutuo  
 censendæ sunt, ne una ex parte ὅλον το σωμα ad solum  
*corpus* restringamus, exclusa reliqua hominis *natura,*  
 ex altera autem τον τροχον γενεσεως tantum *de una ali-*  
*qua parte corporis* intelligamus, quem errorem multos  
 errare, *supra* proluxe ostendimus. Nostro certe sen-  
 su liberaliori admissio, complures aliorum interpreta-  
 tiones, rem *per se* non satis exhaustivæ, felici jun-  
 gere licet connubio. Ecquid vero jam β) sibi vult  
 participium φλογίζεσα, & quo jure hoc prædicatum  
*Linguae* tribuitur? Apostolus eam *init. comm.* dixerat  
*ignem esse,* nunc monstrat effectum hujus ignis in to-  
 ta natura, in corpore, toto ejus temperamento,  
 omnibusque illius membris, indeque etiam in tota  
 agendi ratione, quod postremum LUTH. versio so-  
 lummodo exprimit: *allen unfern Wandel;* Sape affe-  
 ctus aliquis viciosus, *ira* v. g. corde premitur, ut fo-  
 ras non erumpat; ubi vero lingua ex eo flammam  
 concepit, tota quasi natura fit ignis, ac Aetna quæ-  
 dam ignivoma, conf. Syr. XXVIII, 10—30 ita ut  
 respe-

specu non modo *aliorum extra nos*, sed etiam *nostrum ipsorum*, in plena sua emphasi valeat, quod R. ELEASAR in *Vajikra Rabba sect. XVI. fol. 159.* dixit: כספך ריפות הוא שורף *quanta incendia excitat lingua!*

§. XVII.

Restant e. v. 6. verba: και φλογιζομενη ὑπο της γεννης) 1) και h. l. partitioni inservit: & inflammans & inflammata; *Vulgata Hieronym.* vertit: *inflammata a gehenna*, adeoque το και non legisse videtur; si autem legit, ostendere forsitan hac versione voluit, inflammationem *passivam* a gehenna ad inflammationem *activam* rotæ nativitatis se habere ut *causam ad effectum*. 2) Præfens φλογιζομενη GROTIUS putat positum esse pro futuro φλογισομενη, imo suspicatur, ita legendum forsitan esse, quia SYRVS sic legisse videatur, vertens: & ipsa igni comburetur, pœnas intelligens, quas homines, lingua abusi, in gehenna daturi sint; MILLIUS quoque, &, qui securius hunc sequutus est, BENSONIUS, nec non ER. SCHMIDIUS, pariter existimant, Syrum legisse *futurum*, sed MICHAELIS hoc ex versione Syriaca, & *ardens etiam ipsa igni*, non arbitratur colligi posse, cum non utatur futuro, *arsura*, sed præfenti, *ardens*, licet hoc forte de incendio pœnali gehennæ intellexerit; LEVSDENIUS certe & SCHAAFIVS verba Syri pariter in præfenti vertunt: *ac incenditur etiam ipsa igne*; Quod ad rem ipsam attinet, φλογιζομενη non accipiendum esse in sensu *futuri*, de pœna incendii, quæ in gehenna maneat linguam, rotam